



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

1 De Christo quantum ad naturam diuinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

si; quam eius humanitatem. In utraque tamen contemplanda delectationem inveniunt, unde dicitur Io. 10. Ingredientur, & beati, ad contemplandam diuinitatem Christi: & egredientur ad contemplandam eius humanitatem, & utrobique pascua inuenient, id est delectationem, ut exponitur in libro, de spiritu & anima.

Duas ergo primas rationes concedimus.

Ad illud quod contra obiicitur dicendum, quod ratio illa procedit quantum ad statum viae, in qua nondum sumus Deo perfecte coniuncti: sed oportet nos ad Deum per Christum accedere, sed cum iam Deo in beatitudine coniuncti erimus, per prius intendemus Christi diuinitati, quam eius humanitati.

¶ Finit quodlibet octauum.

INCIPIT QVODLIBET NONVM.

QUESTIO PRIMA.



VAESITVM est primo de capite Christo, deinde de membris. De Christo, quaesitum est tripliciter.

¶ Primo, Quantum ad naturam diuinam.

¶ Secundo, Quantum ad unionem humanae naturae ad diuinam.

¶ Tertio, Quantum ad species, sub quibus in sacramento altaris continetur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus possit facere infinita esse actum.

1. p. q. 25. ar. 3. o. & 5.

Circa primum quarebatur, utrum Deus possit facere infinita esse actum. & uideretur quod non. Deus enim potest facere aliquid maius omni eo quod facit, quia eius potentiam non adaequat opus ut dicit Hugo de S. Victo. sed infinito in actu non potest esse aliquid maius ergo non potest esse quod Deus faciat infinitum in actu.

ar. 216. a. l. p. q. 26. a. 3. ar. 160. ad 4.

SED CONTRA. Deus potest plus facere, quam homo possit dicere, vel cogitare, secundum illud Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne uerbum: sed homo potest dicere esse infinitum in actu, & et cogitare, cum quidam philosophi hoc posuerint, ut patet in 3. phisic. ergo Deus potest facere infinitum in actu.

Tex. 66. 37.

RESPON. Dicendum, quod cum dicitur, Deum non posse aliquid facere, hoc non est pro defectum diuinae potentiae, sed pro impossibilitatem que importatur in factum. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo, quia repugnat factum in quantum est factum, sicut dicimus Deum non posse facere aliquam creaturam quae se in esse conseruet, quia ex hoc ipso quod res aliqua ponit habere superiorem, ponit etiam indigere conseruatore, cuiusdem sit causa esse diuinae, & conseruans rem in esse. Alio modo, quia repugnat huic factum in quantum est hoc factum, sicut si dicamus, Deum non posse facere equum rationale esse. Esse enim rationale, quauis non repugnet factum in quantum est factum, tamen hoc factum, scilicet esse rationale repugnat omni equo in quantum est equus, in cuius definitione cadit irrationale. Quidam autem dicunt, quod Deus non potest facere esse infinitum in actu, quia esse infinitum repugnat factum in quantum est factum. Est enim contra rationem creature,

vt creatorem adaequet, quod oportet ponere, si esset in aliqua creatura infinita. Infinitum enim infinito maius non est: sed illud non uideretur rationabiliter dici. Nihil enim prohibet illud quod est infinitum per unum modum superari ab eo quod est infinitum pluribus modis: sicut si esset aliquod corpus infinitum secundum longitudinem, finitum uero latitudine, esset minus corpore longitudine & latitudine infinito. Dato autem quod Deus faceret aliquod corpus infinitum actu, corpus quidem hoc esset infinitum quantitate dimensionum, sed de necessitate haberet naturam speciei terminatam, & esset imitatum ex hoc ipso, quod esset res naturalis, unde non esset equale Deo, cuius esse & essentia est modis omnibus infinita. Alij uero dicunt, quod esse infinitum in actu secundum aliquem modum non repugnat factum, in quantum factum, neque huic factum in quantum est hoc factum quod est ens in actu: aliquo uero modo repugnat enim in actu esse infinitum. Et haec est opinio Algazelis. Distinguit enim duplex infinitum, scilicet infinitum per se, & infinitum per accidens, cuius distinctionis intellectus hinc accipi potest, quod cum infinitum per se paliter in quantitate inueniatur, ut dicitur in 1. phisic. quantitas in qua infinitum consistit, habeat talem multitudinem, cuius unaquaque pars ab altera dependeat, & certum ordinem habeat, ita quod unaquaque pars illius multitudinis requiratur per se, tunc infinitum in tali quantitate consistens dicitur infinitum per se: sicut patet in hoc quod baculus mouetur a manu, manus a lacertis & neruis qui mouentur ab anima: quod si in infinitum procedunt, ut sanima ab alio moueatur, & sic deinceps in infinitum, uel baculus aliquid aliud moueat, & sic deinceps in infinitum, erit multitudo illorum mouentium & motorum per se infinita. Si uero quantitas in qua consistit infinitum, resultet ex aliquibus pluribus, qui eundem ordinem seruent, & quorum numerus non requiratur nisi per accidens, tunc erit infinitum per accidens: sicut si aliquis fabricerit cultellum faciat, ad cuius constitutionem multitudine martellis indigeat, ex hoc quod vnus post alium frangitur, & vnus succedit in locum alterius eundem ordinem tenens, si talis multitudo in infinitum excreseat, dicitur infinitum per accidens, & non per se. Accidit enim fabricii operi martellorum infinita multitudo, cum per vnum martellum si duraret, aequaliter posset expleri sicut per infinitos. Dicitur ergo quod infinitum per se repugnet quod est esse in actu, eo quod oportet in his que per se ordinem habent, compleri postremum, nisi per comparationem quodammodo omnium priorum: & sic ad unum constituentem requireretur infinitorum ordinata influentia, si esset aliquid infinitum per se, & ita nunquam posset compleri, cum infinitum sit transire: sed infinitum per accidens in eo non repugnat ei quod est esse in actu, cum una pars multitudinis ab altera non dependeat, unde secundum hoc nihil prohibet esse infinitum in actu, sicut Algazel dicit in sua meta. aias rationale hominum defunctorum esse infinitas in actu, eo quod ponit generationem hominum ab aeterno fuisse, et aias post mortem corporum remanere, & secundum hanc opinionem Deus posset facere infinita, uel infinitum in actu, et si non inueniat in natura infinitum in actu. Sed contra. Contra. met. dicit, quod in actu esse non potest neque infinitum per se, neque infinitum per accidens. In potentia uero inuenit infinitum per accidens, sed non infinitum per se, & sic secundum esse infinitum esse non repugnat ei quod est esse in actu, & hoc uerum esse uidetur.

uidetur. Non enim potest esse actu in rerum natura aliquid non specificatum ad diuersas species indifferenter se habens. Quamuis enim intellectus concipiat animal non specificatum rationali, uel irrationali differentia, non tamen potest esse actu animal, quod non sit rationale, uel irrationale: unde secundum Philosophum, non est in genere, quod non est in aliqua eius specie. Vnaquaque uero quantitas specificatur per certam terminationem quantitatis, sicut multitudinis species sunt duo, & tria, & sic de aliis, & magnitudinis species sunt bicubitum & tricubitum, & huiusmodi, uel secundum aliquam determinatam mensuram: unde in possibile est sic inueniri aliqua quantitate in actu, quod non sit propriis terminis limitata. Cum autem infinitum congruat quantitati, & dicatur infinitum per termini remotionem, impossibile erit infinitum esse in actu: pro quo dicit Philosophus in 3. Physic. quod infinitum est sicut materia nondum specificata, sed sub priuatione existens, & quod se habet magis in ratione partis & contenti, quam totius & continentis, & ideo sicut Deus non potest facere equum rationale, ita non potest facere ens actu esse infinitum.

7e.com. 57.

Vnde primum concedimus, quia uerum concludit, quamuis non recte concludat, eo quod si ponatur Deum facere aliquid infinitum secundum unum modum, adhuc potest aliquid infinitum facere in alio ordine, sicut si posset facere infinitos leones, infinito enim non est aliquid maius in illo ordine quo est infinitum: sed secundum alium ordinem nihil prohibet aliquid esse aliud maius infinito, sicut numeri pares sunt infiniti, & tamen numeri pares & impares simul accepti sunt plures numeris paribus.

Ad illud uero quod in contrarium obijcit dicendum, quod uerbum intellectus non solum dicitur quod profertur, sed quod mente concipitur: quod autem sibi ipsi est repugnans, mente concipi non potest, quia nullus potest intelligere contradictoria esse simul uera, ut probatur in 4. metaph. unde cum esse infinitum repugnet ei quod est esse actu, hoc non est uerbum, unde non est infinitum in actu, & ideo non sequitur quod sit Deo possibile. Philosophi autem qui posuerant infinitum esse in actu, propriam uocem ignorauerunt.

QVÆSTIO II.

DEINDE quærebatur de Christo quantum ad unionem humanæ naturæ cum diuina.

Et circa hoc quærebantur tria.

- ¶ Primo, Vtrum in Christo sit una hypostasis trinitatis.
- ¶ Secundo, Vtrum sit in eo unum tantum esse.
- ¶ Tertio, Vtrum sit in eo una tantum filiationis.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sint plures hypostases.

ar. c. 6. & ad 1. & 3. p. q. 2. a. 3. o. & ar. 6. & n. c. & vn. 20. & opus 3. cap. 28. e.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod in Christo sint plures hypostases. Vnio enim animæ ad corpus præsupponitur ad assumptionem, quia Christus humanitatem, siue humanam naturam assumpsit, quæ cum sit forma totius, dicitur aliquid compositum ex anima & corpore: sed anima & corpus unita faciunt hypostasis hominis. ergo hypostasis in humana natura præintelligitur assumptioni: sed omne quod præintelligitur assumptioni, potest dici esse assumptum. ergo hypostasis uerbi assumpsit hypostasis hominis, & sic

A sunt duæ hypostases in Christo.

¶ 2. Præter. Corpus quod præintelligitur assumptioni est assumptibile: sed corpus non est assumptibile nisi ut unitum animæ rationali, nõ. n. dicitur corpus inanimatum esse assumptibile. ergo unio animæ & corporis præintelligitur ad assumptionem humanæ naturæ, & sic idem quod prius.

¶ 3. Præter. Medium unionis præsupponitur ad unionem: sed gratia est medium unionis humanæ naturæ ad diuinam personam, unde dicitur gratia unionis. ergo præsupponitur ad unionem: gratia autem non potest intelligi nisi in anima, anima autem non intelligitur esse antequam corpori uniatur, quia creando infunditur, & infundendo creatur. ergo oportet præintelligi unionem animæ cum corpore ad unionem humanæ cum diuina, & sic idem quod prius.

¶ 4. Præter. Humanitas est quædam forma substantialis: omnis autem forma substantialis requirit aliquid quod per ipsam informetur, non autem potest dici quod hypostasis, uel suppositum æternum informetur per aliquam formam creatam. ergo oportet in Christo ponere aliquid suppositum, uel hypostasis creatam, quæ humanitate informetur, & sic in Christo erunt duæ hypostases, hypostasis scilicet uerbi, & hypostasis hominis.

C SED CONTRA. Ea quæ sunt aduicem disparata, non predicantur de se inuicem, nisi per hoc quod conueniunt in uno supposito, sicut dicimus, quod album est dulce pro unitate subiecti: sed diuina natura & humana sunt naturæ penitus disparatæ, predicantur autem de se inuicem in concreto, dicimus. n. Deus est homo, & homo est Deus. ergo est ibi unum suppositum tantum, & una hypostasis. Si dicatur, quod predicantur de se inuicem pro hoc quod conueniunt in una persona, non per hoc quod conueniunt in uno supposito, uel hypostasi una, sicut dicimus album est dulce.

Contra, Persona non addit supra hypostasis, uel suppositum nisi aliquid accedens, si proprietatem ad dignitatem pertinentem. si ergo in Christo esset una persona, & non unum suppositum, uel hypostasis, diuina natura, & humana essent in ipso unite solum in accidente, quod falsum est.

D RESPON. Dicendum, quod secundum opinionem secundam, quam magister in 6. dist. tertij libri sententiarum ponit, quæ est eorum opinio modernorum, & alijs multo uerior & securior, in Christo est unum suppositum tantum, & una tantum hypostasis, sicut & persona una. Oportet namque nos secundum doctrinam fidei ponere unam rem subsistentem in duabus naturis, diuinam, & humanam, alias nõ. posset dici, quod unus esset dominus Iesus Christus secundum sententiam Apostoli. ad Cor. 8. Vnde, & Nestorius fuit damnatus propter hoc, quod Christum præsumpsit diuidere, duas introducens personas. Illud autem quod est subsistens in natura, est aliquid indiuiduum & singulare. Vnde unitas Christi, in qua due nature ununtur, attribuitur da est alicui nomini pro quo singularitas designatur. Nominum autem que singularitatem designant, quodammodo significant singulare in quolibet genere entis, sicut hoc nomen singulare, & particulare, & in diuiduum, quia hæc albedo est quoddam singulare, & particulare, & indiuiduum: nam uniuersale & particulare circumueit omne genus. Quædam uero significant singulare solum in genere substantiæ, sicut hoc nomen hypostasis, quod significat indiuiduam substantiam: & hoc nomen persona, quod significat substantiam indiuiduam rationis naturæ, & similiter hoc nomen suppositum, uel res naturæ, quorum nullum de hac albedine